B. N. C.
FIRENZE
1035
39

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1035
39
XXIV
39
1035 · 39

CAST. 7

x 1/13

1035.39

A I

PRO LATINA LINGVA

MICHAELIS CASTELLI FIVIZANENSIS,

Apud Pisanam Iuuentutem publico Ciuitatis stipendio bonas literas profitentis,

ORATIO

AD S. P. Q. P.

Ab eodem habita cum primum Latinae Linguae professionem est aggressus.

BIBLIOTECA NAZ.LE 1872

PISIS, Apud Leonardum Zeffium. MDCXXVIII.
Superiorum permissu.

1035.33

MICHAEL CASTELLVS

Perilluſtri

D. PETRO CASCINAE

MOECENATI OPTIMO. S.

ORATIONEM à me habitam, cùm Latinae Linguae profeſsionem, cuius cauſa fueram accitus, publicè auſpicatus ſum, à luce timens in ſcrinium tutiſsimum ſcriptorũ omnium latibulum perpetuis damnatam tenebris detruſeram: quare nec aſperiorem admoui limam, cùm quia ędere nunquam cogitaui, tùm verò quòd abſumi totam potiùs, quàm corrigi poſſe putaui. Tu verò, Petre, cuius apud me authoritas plurimum meritiſsimò valet, publici iudicij aleam iterum subire iubes, vt quam forte recitando gratiam inij edendo perdam. Rem eſſe scio,

ex qua plus timere periculi, quàm sperare gloriae debeam: sed erit quod me partim excuset, partim etiam tueatur, quod te iubente seueriorem censoris vnguem non formidaui. Quod ipsum obseruantiae erga te meae documentum alijs quoq; palam innotescere volui, cum non parua in me laus ex tuo patrocinio redundet. Illud mihi praesertim tenuitatis meae conscientia territo securitatem pollicetur. Accipe igitur oratiunculam, quae vtinam digna esset quam tibi pro munere exhiberem: accipe, inquam, vnde hominis tui amantissimi obsequij erga temetipsum non obscurum colligatur argumentum. Vale. Kal. Decemb.

MICHAELIS CASTELLI FIVIZANENSIS

PRO LATINA LINGVA Oratio.

AD S. P. Q. P.

HOC ſuggeſtum, huius veſtri conſeſſus amplitudo, tanta virorum genere, ſcientiáq; illuſtrium frequentia iam ante animo prouiſa me orationis diu penſitatum mutare cogunt argumentum. Publico veſtrae Ciuitatis P. C. beneficio cumulatus, publicè gratum animum teſtaturus publicas vrbis laudes meditabar. Nam quod dicendi genus veſtro erga nos merito magis conuenire videretur? Illius diei memoria obuerſabatur animo, cùm in veſtram curiam accerſito cunctorum ſuffragijs adoleſcentiae doctorem, imbecillis aetatis moderatorem, veſtrorum liberorum alterum parentem; totius reipub. ſeminarij cultorem deſtinatum renunciaſtis. Quàm id mihi magnificum, amplumq; contigerit ſatis meus pudor declarauit, quòd non mea ſponte hoc ſum auſus muneris optare, ſed amicorum hortationibus, iuſ-

ſisq;

ſisq; vix tandem vniuerſae Ciuitatis conſenſui parere ſum coactus. Veſtrum igitur de me praeiudicium publica conſenſione comprobatum faces animo applicuit, meq; ingenti cupiditate velut quodam numine correptũ inflãmauit veterem Piſarum, recentemq; gloriam quàm poſſem accuratiſſima oratione perſequendi. Illuc me ardor animi trahebat, & impellebat ambitio: praeclarè enim rem meam geſturus videbar, ſi ex alienis laudibus honeſtiſſimo praetextu mihi gloriam aucuparer. Huc omnes dicendi neruos intenderam, meq; in id totũ compararam. Dum ſoluo è portu, iamq; per immenſum veſtrorum decorum pelagus effusè feror, quacunq; circumſpicio immenſitas eſt: vela contraho, ſiſto curſum, coeptiq; magnitudine perterritus decurſum ſpatium remetior, ac nouum orationis argumentum ineo. Latiſsimè quidem patebat Piſanae gloriae campus; ſed ſegniter illum percurrendo quid niſi ruborem vobis cum meo dedecore incuſſiſſem? Ab eo enim qui rem aliquam laudandam ſuſcipit cùm ſumma omnia expectentur, ſiquid ommittatur, non tàm praetermiſſum homines arbitrantur, quàm rei laudatae illud ornamentum deeſſe. Abſit igitur à me flagitij tàm turpis inuidia, & quod proximũ eſt Latinae linguae, quàm profitendam ſuſcepi laudibus inſudet oratio. Ita fiet vt & minori periculo muneris in me collati magnitudinem extollens agnoſcere illud videar: & optimis adoleſcentibus quos mihi formandos tradidiſtis Romani ſermonis amorem fructuoſiſſimè ingeram. Nec verò propterea inanis erit oratio quòd dicendum mihi apud eos eſt, qui tantùm abeſt, vt Latinas literas impugnent, vt eas quoq; ſanctiſsimè tueantur:

nam

nam in tanto coetu non dubito qpin futurus sit aliquis ex illorum secta quibus omnes praeter Hetruscam vernaculam linguae sordescunt, quiq; nostram artem adeò fastidiunt, vt eius professores vanum, & clamosum genus hominum, indoctos, praedotribus iure appellandos arbitrétur, & cum magna adolescentium p:ste inutilem, aut sanè minime necessariam, eam notitiam asseuerent. Ego verò non id agam solum, quod acturus de Latina lingua dicendo videor, sed quid quantumq; huic Ciuitati debeam commonstrabo. Atq; vt inde orationis proficiscatur initium vnde non vulgaris Latini sermonis laus emanat, videamus quaeso, quibus ortûs incunabulis ad nos vsque deriuatus post tot saecula, tot incendia librorum, tot barbarorum incursiones pristinam dignitatem conseruarit. Omittamus Aborigines, & Euandrum (ne ab ouo, quod aiunt, omnia repetendo in volumen excrescat oratio) quorum temporibus horridus squalensq; sermo nitorem suum non grauatè Romanis acceptum ferre videtur: Romanos iure optimo illius parentes, altoresq; fateamur: qui vt ad terrarum orbis imperium fatis ducebantur, sic dignam tanto fastigio linguam, sua Ciuitate donatam Romanamq; effectam cultiorem reddiderunt. Nec enim qui vrbe condita communi vocabulo Romani appellabantur vnius gentis omnes, aut linguae, sed illuc turba, sine vllo nationis, aut sermonis discrimine confluxerant. In tanta verò hominum colluuie Latina lingua de reliquis omnibus triumphasset, nisi tum etiam non dum prisca rusticitate defaecata caeteris sine controuersia praecellere visa esset? Romulus ille sui ambitiosissimus ostentator, cũ exquisitissimis rationibus, etiam

mira-

miraculorum commentis maiestatem affectaret in nouo populo Graecè non ignarus Latinè leges dixisset, decreta tulisset, sacra instituisset, nisi Latinae linguae vsu Diuinam originem quam mentiebatur maximè approbari existimasset? Aucta vero Ciuitate Sabinorum multitudine, ingentiq; hominum numero, quos in dies nouae vrbis fama inuitabat, non modo in aduenarum barbariem Romana lingua non degenerauit, sed ornatiorem inde cultum nitoremq; clariorem contraxit. At vrbis infantiam ommittamus, quae tamen ipsa egregiè diserta Graecorum dicacitatem superauit: ad ea tempora dicendo deueniamus cum Romana eloquentia non leuiùs in foro, quam foris arma, tonabat. Quid vsquam praeclari facinoris est gestum, quod non fuerit concionibus persuasum? Quoties armatū in sua viscera populum Romanum oratio sedauit? Quoties illata ab hostibus bella propulsare pertinaciter detrectantem armauit? Sed haec ad eloquentiam communiter dicat aliquis potius, quàm ad Latinum sermonem propriè pertinere. Age sua satis amoenitate pulchrum, Rhetorum coloribus nudatum, & sine fruo contemplemur. Tres ferè Linguas videmus Grammaticorum praeceptionibus cōtineri, Hebraicam, Graecam, & de qua loquimur Latinam: hanc si duabus reliquis suauitate, fructu, ac dignitate praeire docuero strenuè me officio perfunctum credidero. De prima nostrae linguae virtute facilè opinor, assensum impetrabo: Quis enim est tàm peregrinis auribus, qui plùs Hebraicarum vocum monstris, quàm fluida, seque cum audientium voluptate in animos insinuante oratione Latina delectetur? Ille scilicet, qui Germanorum inconditum

bati-

baritum, quàm testudinis elegantissimè pulsatae sonum audire malit. Nam alia, vt praeteream illi tam familiares Hebraeis spiritus spiritum prorsus excruciant. Quis aequis auribus accipiat illud imo ex gutture cum ipsa pene anima exhalatum? Sed hoc est cum absente litigare: de Hebraica lingua in suauitatis quaestione per omnes mihi tacere licet: circa Graecam maius negotium futurum existimatis. De suauitate sonorum iudicium est aurium, quibus non dubito quin arrideat magis simplex, facilisq; Latinae orationis enunciatio, quam Graecae tot in dicendo, audiendoq; salebrae. Ommitto diphtongorum, ac spirituum passim occurrentium offendicula: fero rem prorsus intolerabilem, vt breuis syllaba, cui sit accentus nota praefixa pluribus quàm longa temporibus efferatur: condono Graecis illos consonantium crebros concursus, quorum cum difficultate luctandum dicenti est: quis vel ferreis, auribus ἐξελευθεροστομέω, κατασυδομαχ-τυροσάμενος, aliaq; huius mensurae tanquam fusilia, & externis, quaternisque concreta verba audiens non offendatur? Porrò qui vtriusq; linguae poëtas lectitarit in versibus id multò planiùs deprehendet. Possem hìc vobis pulchrum Latinarum, Graecarumq; Musarum spectaculum exhibere: sed quid in Romanam coloniam Graecas Musas à Latinis vestro iudicio vincendas deducam? Homerus certè, Virgiliusq; Graecorum ille, hic Latinorum poëtarum princeps certatim à suis sectis defenduntur: sed quamuis arte pares censeantur, elegantiae tamen, ac suauitatis primas Virgilio nemo non defert: vt meritò quidam de eo vaticinatus sit:

Nescio quid maius nascitur Iliade.

Ingenium quidem hominis id assequutum est; sed

nunquam scribens Graecorum excultissimum poëtam versus elegantia superasset, nec vni Virgilio contigisset, vt qui parem inter Graecos habuit neminem, ei Latinus facundiae palmam praeriperet. Latinam verò linguam omnia Graecorum versuum genera felicissimae imitatã tarum est suauitatis argumentum. Habet quidem Hetru ria non omnes cum Gallis, Hispanisq; cõmunes carminũ formas: Hispani verò Galliq. aliquas peculiares, quas nec inter se nec cum Hetruscis communicant. Nemo Gallus Italusue quod sciam poëta tetrasticha Hispanorũ ex octo sillabis versibus alternis rhythmis assonantibus conflata, nemo ex Italis Hispanisue Gallicos tredecim syllabarum metros imitatus est. Suus enim cuiq; idiomati lepos, suos vnumquodq; numeros amat. Sola Romana lingua quacumq; ducas sequitur, sola in omnes versa formas nitorẽ elegantiamq; conseruat. Quid iam, vt de Romani sermonis commodis loquar, eius notitia fructuosius? Quid vniuersae reip. vtilius? Quid maiori orbis terrarum bono bonae artis accepimus? Floruere quidem Graecae litterae multò ante Romã conditam; illa etiam condita dum nemo Romanus ingenium sine corpore exercebat, & laudanda facere, quàm in alienis laudibus acumen ostentare optimus quisq; malebat, Graeci Poëtae, Oratores, Philosophi praeclarissimis monumentis linguam suam nobilitarunt, ex quorum thesauris Latina locupletata est. Omnes ferè disciplinae apud Graecos natae ad Romanos tandem peruenere: sed aucti peregrinis artibus tantò eatum auctoribus praestantiores euasere, quantò Graecorũ leuitatem Romana soliditas anteiuit. Coepere Graecorũ scripta ab vtriusq; linguae peritis in Latinã versa Roma-

norum

norum ſtudijs accommodati. Tum demum cognitum experiendo eſt non parciùs ex Tyberi, quam ex Hippocrene ſapientiae latices hauriri, nec ſolas è terris omnibus Athenas Palladis numen propitium experiri. Quidquid vſquam Graecorum ſapientiſſimi longo ſtudio ac labore collegerunt, quidquid rerum geſtarum hiſtoriarum monumentis continebatur, quidquid nobiliſſimi vates cecinere in Latinam linguam transfuſum eſt. Itaq; artibus externis inſtructa Romana ingenia de ſuo ipſa penu eiuſmodi ſcripta depromſerunt, vt iam non ſapientia Graeca, quam proprijs inuentis eſſent clariora. Quid dicam de legibus? Nonne duodecim tabulae totius iuris ciuilis origo ab Athenienſium ſanctionibus, & Spartanorum inſtitutis lectiſſima quaeque corraſerunt? Cum ſit igitur Latium praeter vernacula ornamenta Graecarum artium acceſſione ditatum, quis non hic ciuis, quàm in Attica peregrinus eſſe malit? Ad ea iam gradum faciamus quae vos, optimi adoleſcentes, fructus ingentes oſtentando ad huius linguae ſtudium gnauiter capeſſendum, ſi ſponte non tenditis, compellant. Nemo eſt veſtrûm qui ſibi non iam honeſtam aliquam artem propoſuerit, qua claritudinem, & opes maioribus acceptas, vel cum dignitate tueatur, vel ſua induſtria partas poſteris relinquat. Haec veſtros animos vna cupiditas accendit nunquam niſi hoc ſpatio decurſo, compoteſque voti quieturos. Romani ſermonis facultas vobis priùs comparanda eſt; ea inſtructi pergite facilem ad omnes ingenuas artes acceſſum reperietis. Rerum diuinarum ſcientiam arripere, naturae arcana callere, reipublicae

gubernandae artem nosse, Mathematicas disciplinas tenere, omnem Philosophiam cognoscere vnica Romani sermonis notitia cumulatissimè praestabit. Latinis autem sacris non initiatos, dum Latinè docent scientiarum professores nonne à suis mysterijs tanquam profanum vulgus arcere videntur? Hìc verò vix sibi temperant qui hodiernos Hetruscos admirantes bellum Latio indixerunt quin clament:

Laudas venales, vt possis trudere merces.

Sed fastidiosas nimis nobis narras scientias, quae se nisi Latinis praebere nolunt. Existimant scilicet fastidiosas, quòd coquis, & cerdonibus non prostituuntur. O popularium hominum comitatem, qui nihil cum vulgo non communicant? Rescindamus igitur, vt illis morem geramus primum Iustiniani Caesaris scitum, quo in vernaculam alicuius gentis linguam Imperatorias sanctiones transcribi vetuit: deinde etiam, si diuis placet, sacrosanctum Tridentinae Synodi decretum, quo sanctissimi patres cauere, ne diuinae Scripturae libri vulgari sermone conscripti excuderentur, legerentur, haberentur; ne qua diuini, humaniuè iuris pars indoctorũ libidini non pateat. Sed non vacat cum vulgarium doctorum plebe litigare, quibus si vltrò concedam posse cum dignitate liberales disciplinas vernacula lingua tractari, ab illis certè, vel inuitis hanc confessionem extorquebo ad plures Romanũ quam Italum idioma pertinere. Boccacius Italorum Demosthenes, quem omnes Hetrusci sermonis studiosi elegantiae causa legunt, quam laudem ab Hispanis, Gallis, Germanis, Batauis, Anglis reportauit? Quid illis bonae frugis attulit? Alij praeterea innumeri, qui cum aliqua laude Italicè scripserunt, quam sibi apud exteras na-

tiones

tiones gloriam parauere? Quod siquis parum sua gloria, vel alienis commodis mouetur, adeò ne sui erit incuriosus, vt nullum quaerat ad fortuita subsidium? Italia excedendum est, exulandum est, peregrinandum est; Latinae linguae ignaro, cui vsui lingua? Huius rei exempla nisi meum suppeteret aliunde conquirerem. Annorum sedecim adolescens bonam Galliae, Germaniaeq; partem peragraui, quae gentes tanta me humanitate exceperunt, vt mirum prorsus esset Hispanici nominis apud eas inuidiam vni mihi non obesse. Nullam vrbem accessi, cuius non viderer esse ciuis, in qua mihi ad honestas amicitias Latinae linguae beneficio aditus non pateret. Nunquam me relictae patriae poenituit, adeò patriae vbicumq; cōmoda reperiebam. Quid Fiuizanenses in Italia cum ad eos forte sum delatus Italicè rudis, omnium earum rerũ, quae extra hominem sunt praesidio destitutus, Romani tantum sermonis peritia cõmendabilis quantopere hortati sunt donec peruicerunt apud eos, vt docendi prouinciam susciperem? Aetas, vernaculae linguae ignoratio, inexperti mores Fiuizanensium ardorem reprimere debuerunt. Sed quasi omnia illis in oratione Latina satis explorata fuissent, maturi ingenij, Italicè peritum, optimè moratum censuere. At vidi aliquos longe à patrio solo profectos Latinè ignaros, quasi in alieno orbe peregrinos, inopes consilij, ad summam desperationem redactos, in miserijs ridiculos: quid inquam vidi? Quotidie vos in hac vrbe videtis, qui tanquam temulenta Spartanorum mancipia, sobrietat s bona, ita ipsi Latinae linguae commoda suo incommodo demonstrant. Graecus quidem Hebraeusq; sermo quamuis vtiliter addiscantur, nunquam tamen Latini fructuosissimã vbertatem adae-

quabunt. Quid enim habuit Graecia, quod non copiosius in Latio proueniat? Philosophi, Rhetores, Poetae, Historici quotquot Graecè scripserunt iam pridem cũ suis voluminibus interijssent, nisi illorum laboribus Latinorum industria consuluisset. Itaq; & eosdem habemus Romanos factos, & qui Graecè leguntur Romanis se vitam debere profitentur. Hebraeorum verò praeter Mosis, & Prophetarum libros, paucos praeterea, qui inter veteris instrumenti scripturas recensentur, & vnum Matthaei Euangelium vix vlla digna sunt opera propter quae legendi molestiam perferamus. Latina verò lingua nec illos ipsos libros desiderat, & pluribus penè quàm Graecia hominibus aut Syria, prouincijs eius regnũ frequentatur. Nihil est igitur, optimi adolescentes, quòd vos pluribus cohorter ad eam amplectendam, quae tamen vobis si minùs hoc solo nomine probatur, nec generosi animi fructu mouentur, etiam ne honestissimum studium contemnetis? Hac profectò laude tantum caeteras linguas Latinus sermo praestat, vt non vereatur illum, vel Hebraico qui cũ ipso homine natus est multis partibus anteferre. Gloriosum fuit Mithridati duarũ, & viginti prouinciarum linguas calluisse; sed quantò pulchriùs omnium Europae populorum (quae optima, & cultissima terrarum portio est) idiomata in vna lingua didicisse? Cui prouinciae hoc decus contigit, vt eius sermonem reliquae omnes doceri vellent, intelligerent, ac vt eo sibi vti liceret pro munere flagitarent? Nulla enim gens tam barbarè, tam inconditè vnquam loquuta est, vt alijs quibusuis sermonis elegantia concesserit. Interrogate etiam num Germanos, interrogate Britannos, interrogatae occiduae plagae nuper cognitos populos, qui tãtum ab Italiae cultu abhorrent,

rent, quanto marium, terrarũq; interuallo ab ea dirimuntur, an suum Italico idiomate velint permutare: profectò sua sorte contenti optionem spernent. Atqui Cumani à Romanis quondam petiuere, vt sibi publicè Latinè loquendi ius concederetur. Quid potest huiusmodi de Hebraico sermone pronũciari? Praeterea si artium honestissimarum studia decora sunt, quin pulcherrimũ illud putemus, quod nos ad illas vnicè perducit? Ipsae quidem inter se virtutes adeò coniunctae, connexaeq; sunt, vt aliae ex alijs pendere videantur; sed nõ eam vim habet ista cõnexio vt vnã si tollas reliquae constare nõ possint, quamuis perpetuus ille doctrinae orbis tollatur. At sine Latinae linguae peritia nõ dico encyclopaediam, sed vix vllam ingenuã disciplinã cõparare valemus. Oẽs enim artes Deo natae, per quas tãtũ homo ab homine recedit, vt ad aeternũ naturae opificem proximè accedat, Romanae linguae notitiã tanquã lucẽ aliquam, aut ducẽ sequuntur. Quare nõ immeritò duae maximae secundũ Deũ potestates Romanus Pontifex Germanusq; Caesar tãtũ sẽper illi tribuerũt, vt nõ aliam in suis decretis, sanctionibus, epistolis adhibuerint. sed quid ego rei diuino testimonio cõprobatae fidẽ aliũde facere laboro? Quãdò Dei afflatu Tridet. Cõcilij patres sãctiss. decreto statuerũt sacrarũ scripturarũ Latinos libros pro canonicis habẽdos eorũq; authoritatẽ nẽ quis reijceret religiosissimè cauerũt. Facessãt igitur qui Hebraicũ sermonẽ Latino posthaberi propter sacras Scripturas nefas arbitrãtur, cũ easdẽ Latinas admittere ab illarũ authore iubeamur. quid ꝙ Diuina mysteria nõ Hebraicè aut Graecè, sed Latinè peragũtur? Nõne si hominũ creator repetito veteri miraculo in terras relaberetur Hebraica lingua repudiata, Latina quà ĩmortalis colitur mortalẽ vsu-

rum credamus? Qui sedulò animaduerterit varietates těporum, barbarorum dominatus, incědia librorum, contemptum litterarum, multaq; alia, quae linguae Latinae aduersissima euenerunt, omninò perspiciet Deo charissimam eiusdem prouida cura conseruatam. Nec enim aliter sapientiae ianua, Diuinorum arcanorum interpres, testis veritatis, lux temporum, antiquitatis custos, scientiarum magistra, internuncia populorum, peregrinationis comes ad nos vsq; pristinam dignitatem protraxisset. Quod si linguam Latinam addiscere praeclarũ est quantum vestrum P. C. E. D. extitit in me honoris documentum, quem ad eam liberis vestris tradendam in tantae vrbis frequentia satis eruditum publico decreto censuistis? Quem optimo seni, peritissimo viro Iacobo Mancino sufficere non estis dedignati? quem non indoctis competitoribus tunc quidem ambitione magna vestra suffragia flagitantibus, nunc etiam fabularum in meam famam commenta vulgò iactantibus praetulistis? Equidem si meas vestro beneficio vires metirer meq; inconsulta conscientia extra quaererem nõ paruam nactus eram insolescendi materiam. Ego verò sicuti hanc prouinciam amicorũ iussis victus petiui, & honorificè demandatam suscepi, ita me illi sustinendae caeteris omnibus imparě agnosco, nisi quod vestri aura fauoris animatus assequuturum spero, vt optimo consilio nostris etiam detrectatoribus Castellum acciuisse videamini. Nec spem fallet euentus modo vos optimi adolescentes ita comparetis, vt bonos inuenisse potius, quàm fecisse valeam gloriari.

FINIS.

Z.
1035.39

1035.39

Angelo * Pandimiglio
restauratore
825650 * 8274800